

116361
I

Estr. XII, 122

Dublet
1033 [Z. 1118 inw.
10° „Z" - 9397-]
Bibl. im. Wróbl. w Wilnie • dublet
1355 cii

DEVOTIO
Ad
S: ALOYSIUM
GONZAGA
Societatis JESU.
Scholarum ejusdem Soc. in toto orbe
& Studiosæ Juventutis
PATRONUM,
BENEDICTO XIII.
Pontifice Maximo
Declaratum;
Ad promovendum Cultum
ejusdem Sancti
REIMPRESSA.

VILNÆ
Typis Academicis S. R. M. Soc: JE
Annô Domini 1743.

LAUDETUR

CHRISTUS.

Vita
S. ALOYSII GONZAGÆ.

IS Patre Imperij Principe, & Castilionis Marchione natus, septimum ætatis annum, suæ ad DEUM conversionis tempus appellabat, eâ constantiâ, nunc jam feliciter inchoatæ, ut deinceps, (prout quatuor fide digni ejus Confessarij affirmârunt) nunquam se à DEO per mortale peccatum averteret. Novennis adhuc, Florentiæ ante Imaginem Virginis ab Angelo salutatæ, perpetuô Virginitatis votô se obstrinxit, tam perfectè semper observatô, ut illud testari potuerit

Sacra Romana Rota: *Aloysius nunquam stimulum carnis passus est, nec cogitationem ullam impuram in mente habuit.*

Temperantia planè fuit admirabilis. Nam præter alia extraordinaria jejunia, singulis hebdomadis, feriâ sextâ, & Sabbathô, ac etiam sæpè feriâ quartâ, solo pane & aqua contentus vivebat. Ter imprimis per hebdomadam: ac deinde in ultimis in sæculo annis; die quolibet semel: postremo ter de die, seu flagellis, seu loris, seu ferreâ catenulâ, se ipsum cædendo cruentabat. Sæpè asserem sibi dormienti supponebat. Sæpè loco cilicii acutis calcaribus tenerum corpus stringebat.

De studio orandi quid dicam? Manè quolibet, ultra prolixas vo-

cales

cales orationes, rerum sacrarum meditationi unam horam dabat; vesperi autem quandoque duas. Nec his contentus, nocte mediâ aliis quiescentibus, è lecto surgebat, & solo indusio etiam inter hyemis rigores tectus, ac præ frigore tremens, per aliquot horas, genibus flexis meditationi vacabat: ut quandoque præ corporis debilitate, in terram prolapsus jacensque orationem finiret. Ab hac porro consvetudine orandi, non destitit Aloysius, etiam in aula Regis Hispaniarum biennio degens, ubi in abditos recessus fugiendo, quinque horas cælestium rerum contemplationi impendebat. Modum ac frequentiam Sacræ Communionis à Sancto Carolo Borromæo edoctus, ea teneritudine animi diebus festis usurpa-

bat, ut in lacrymas uberrimas sæpè solveretur, â quibus etiam, diebus profestis sacrum audiens, post elevatam Sacram Hostiam, sibi temperare non poterat. Hac verò pietate insignem illum promeruit DEI Matris favorem, cum de statu vitæ deliberans, die Assumptionis DEIparæ sacrâ, peractâ ad hanc intentionem Communione, illam Madriti, à Pretiosissima Parente audivit vocem: *Ingredere Societatem Filij mei.* Quam ut ingrederetur, incredibile dictu est, quantas Patris iras, quot obstacula toto triennio fortissimè superavit. Qualem verò in Societate vitam egerit, quàm pretiosa morte brevi coronatam, non est propositi mei referre, qui Aloysium nondum Religiosum, sed adolescentem adhuc in tenera ætate,

in

in aulis Regum, inter Principum delicias, Sodalibus propono. *Ex Virgilio Cepario.*

OFFICIUM S. ALOYSII GONZAGA,

Societatis JESU.

AD MATUTINUM.

DOmine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
DEUS in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc & semper,

semper, & in sæcula sæculorum Amen.

HYMNUS.

CAnduit noster Ludovicus illâ
Mente, qua semper fuit innocenti,
Ut suo crispæ niveo bidentes
Vellere candent.

ANTIPHONA.

ALoysi Gonzagarum decus, honor juventutis, Societatis ornamentum, castitatis lilium, flos obedientiæ, paupertatis viola, rosa verecundiæ, virtutum omnium millefolium, fac, ut qui brevi vitæ compendio, grandævæ ætatis perfectionem comprehendisti, te hic imitemur, & ibi laudemus in sempiternum.

Consummatus in brevi explevit tempora multa,

Placita

Placita enim erat DEO anima illius.

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium, ad majorem Nominis tui gloriam, in Societatem Filii tui vocare dignatus es, largire quæsumus, ut quem columbinæ innocentiæ jubar imitamur in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Dominum nostrum, Amen.

AD PRIMAM.

DEUS in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

LIlium pluſquam nivei coloris
Integræ vivo tibi caſtitatis,
Semper ex largis oculis reſuſo
Floruit imbre.

Aloysi Gonzagarum &c. *ut supra.*

ORATIO.

PEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam, in Societatem Filii tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut quem Angelicæ castitatis speculum esse vidimus in terris, hujus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD TERTIAM.

DEUS in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c:

HYMNUS.

CAlcar in molles penetravit artus
Sæpiùs, quando minimè rebellem,
Pinxit armatis laqueis vocata
Purpura carnem.

Aloysi

Aloysi Gonzagarum &c. *ut supra.*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut quem severum sui corporis vindicem colimus in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD SEXTAM.

DEUS in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

CUm spopondisset Diadema mundus,
Sceptra cum dives regio dedisset,

Sceptra Gonzaga & Diadema,
vanas credidit umbras.
Aloysi Gonzagarum &c. *ut supra.*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut quem nobis voluntariæ paupertatis ideam proponimus in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD NONAM.

DEUS in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

VEluti massam figulus sequentem

Fingit,

Fingit, in quam vult agitare fo
mam
Ductilem, sic te poterant superni
Flectere nutus.

Aloysi Gonzagarum &c. *ut supr*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Alo
sium ad Majorem Nominis t
gloriam in Societatem Filij tui v
care dignatus es: largire quæsumu
ut quem nobis cæcæ obedient
exemplar dedisti in terris, ejus gl
riæ participes fieri mereamur
cælis. Per Christum Dominum n
strum, Amen.

AD VESPERAS.

DEUS in adjutorium meum int
de,
Domine ad adjuvandum me f
stina.
Gloria Patri, &c.

HY

HYMNUS.

Um fatigabas precibus beatos,
Et piæ terram lachrymæ rigabant;
sus es crebrò, quasi raptus, ipsum
Cernere Numen.
Aloysi Gonzagarum decus, &c.
ut supra.

ORATIO.

EUS, qui famulum tuum Aloysium ad Majorem Nominis tui
priam in Societatem Filii tui vore dignatus es: largire quæsuis, ut qui nobis Divinæ contemationis specimen præstitit in ter, ejus gloriæ participes fieri memur in cælis. Per Christum Donum nostrum, Amen.

AD COMPLETORIUM.

onverte nos DEUS salutaris noster,

Et

Et áverte iram tuam à nobis.
DEUS in adjutorium, &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

CEssit è vivis Ludovicus, omni
Ritè virtutum ſpecie decorus.
Magna virtutum ſeries, beatæ
Teſſera vitæ.
Aloyſi Gonzagarum, &c. *ut ſupra.*

ORATIO.

DEUS, qui famulum tuum Aloyſium ad Majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: præſta quæſumus, ut quem optimarum virtutum Magiſtrum habuimus in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

COM-

COMMENDATIO.

HOc tibi noſtrum Ludovice carmen,
Debito conor recitare voto;
Ut malum nobis medico propinquum
Pollice pellas.

℣. Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia.

℟. Oleum effuſum Aloyſi nomen tuum, Adoleſcentuli dilexerunt te nimis.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Beatum Aloyſium in Societate Filij tui JESU, gratia contemplationis, & ſanctimoniæ candore admirabili exornaſti. Præſta quæſumus; ut ejus celebrantes memoriam apud Te, tuam exactam Nomiuis cogitationem, & puritatis in-

vio-

violabilem assequamur gloriam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

O Beatissime Aloysi, Sancte Adolescens, o magne mundi victor, atque contemptor, quem purissimis castitatis insignitum liliis, omnes fines lætabundâ voce decantant atque commendant. Obsecro te toto cordis affectu, impetra mihi, quod potes à DEO, purissimæ castitatis & perfectæ humilitatis sinceritate, JESU Christo Domino meo deservire.

DEUS, qui Beatum Aloysium famulum tuum, per totum vitæ tempus ab omnium turpium cogitationum & mortiferæ culpæ macula liberasti, ut perfecto tibi amore deserviret, quæsumus, ut nos ei similes facias, munere, & amore. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

CUL-

CULTUS
S. ALOYSII
GONZAGÆ

Patroni vitæ innocuæ.

In imitatione virtutum ipsius & devotione ad eundem,

Per hebdomadam eligibilem.

Ad usum specialiter Juventutis Expositus.

Dies 1ma.

SAnctus ALOYSIUS specialiter cautus fuerat in usu oculorum suorum. Proinde ad retinendos eosdem semper illibatos, ne quidem Matris suæ faciem intueri volebat.

Enitere tu quoq; refrænare oculos tuos, non concedendo illis eorum objectorum aspectum, quorum desiderium est illicitum, recita autem ad honorem S. Aloysii hymnum sequentem,

tem, cum subsequente oratione ad impetrandam custodiam oculorum. Ejaculatoriam sæpiùs per diem conare elicere.

HYMNUS
In laudem S. ALOYSII GONZAGA.

INfensus hostis gloriæ,
Omnisq; culpæ nescius,
Et mollis ofor Curiæ
Laudetur Aloysius.
Almâ juvante Virgine
Ex Matris alvo ducitur,
Simulq; Sacro flumine
Nascens puer renascitur.
Primis ab incunabulis,
Piæ loquelæ semina
Castis fluunt labellulis,
JESU & MARIÆ nomina.
Summo Sacer jam Numini,
Curas profanas abdicat,

Et

Et se decennis Virgini
Per Castitatem dedicat.
DEO trahente Cælitus
Sic mente pergit vivere,
Ut carnis expers Spiritus,
Vel Angelus cum corpore:
Hunc non honores Sæculi,
Non magna tangunt nomina,
Non aulici, non servuli,
Non cara gentis agmina.
Sed hæc habens despectui,
Sacrisq; captus gaudiis
Adjunctus almo Cœtui
Christi potitur præmiis.
Illo nihil perfectius,
Nihil fuit constantius,
Omni carens labecula,
Fit Sanctitatis regula.
Uni & ter almo Numini,
Sanctoq; JESU Nomini,
Sit laus, decus, dilectio,
Sit laus & Aloysio, Amen.

An-

Antiphona, Psal: 17.

IN te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. DEUS, qui præcinxit me virtute & posuit immaculatam viam meam.

℣ Ora pro nobis S. ALOYSI,

℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEUS, qui in S. ALOYSIO Confessore tuo inter blandimenta Sæculi Candorem innocentiæ conservasti; Concede, ut nos quoq; ejusdem exempla sectantes, ab omni peccatilabe per gratiam tuam servemur immunes. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Jaculatoria.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi: Sub tegumbra alarum tuarum protege me.

Dies 2da.

DS Anctus Aloysius excelluit insigniter in victoria respectuum humanorum. Hinc licèt viveret in medio aularum inter Principes, ipsemet juvenis Princeps; nusquam tamen, ob respectum quemcunq; desiit profiteri pietatem.

Disce ab exemplo hujus S. non vereundari apparere etiam inter indevotos, probitati addictus. O quanta fit injuria JESU CHRISTO ab illo, qui propter alios, illius erubescit evangelium. Non erubesco evangelium: *recole hoc semper & recita hymnum, supra positum cum subsequente oratione ad S. Aloysium, ut tibi impetret victoriam respectuum humanorum. Jaculatoriam sæpiùs in die exerce.*

Hym-

Hymnus.

Infensus hostis gloriæ &c. ut supra.

Antiphona.

QUæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, verumtamen existimo omnia detrimentum, propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci. Ora pro nobis &c.

Oremus.

DOmine JESU Christe, qui S. Aloysium Confessorem tuum in mundanæ gloriæ contemptu mirabilem effecisti, tribue quæsumus, ut ejus meritis & imitatione fideles tui terrena despiciant, & ad Cælestia semper aspirent. Per Christum &c.

Iaculatoria.

QUid mihi est in Cælo & â te quid volui super terram, Defeci

cit Caro mea & Cor meum, DEUS Cordis mei, & pars mea DEUS in eternum.

Dies 3tia.

S. Aloysius summam ori suo imposuit Custodiam, ut nunquam deliberatè inordinatum aliquod verbum protulerit. Cum tamen semel tale ex improviso excidisset, licèt significationem illius ignoraret, toto tamen vitæ suæ tempore id deflebat.

Imitare hoc exemplum, in cautela adhibenda sermoni, si quam culpam in eo admisisti, cum multo dolore confitere. Recita hymnum cum oratione ad S. ut obtineat tibi â Domino moderationem tuæ linguæ. Jaculatoriam sæpiùs itera per diem.

Hymnus. ut supra.

Au-

Antiphona.

QUàm pulchra est Casta generatio cum claritate ; immortalis est enim memoria illius,& in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Ora pro nobis &c.

Oremus.

REfloreat quæsumus Domine Cor & Caro nostra,vigore pudicitiæ, & castimoniæ novitate; ut intercedente S. Aloysio Confessore tuo,ab omnibus tentationibus liberemur, & vitam in terris Angelicam vivere valeamus. Per Christum Dominum &c.

Jaculatoria.

FIat Domine Cor meum & Corpus meum immaculatum, ut non confundar.

Dies 4ta.

S. Aloysius plurimùm afficiebatur orationi mentali; cui plures diei impendebat horas sinè distractione, hinc semper præsentem DEUM mente ferebat, nec unquam ab eo cogitationem suam, poterat divertere.

O quantum sentires juvamen animæ tuæ, si quovis die dares tempus aliquod huic mentali orationi. Non est ita usus difficilis illius, ut fortè tibi persvadet generis humani hostis! Experire, & agnosces. Et sic faciliùs assvefies Præsentiæ Dei, quæ quale non afferret auxilium, ad abstinendum à peccato? si recogitares id sæpè: DEUS me videt. *Dic hymnum cum oratione infra posita ad S. ut tibi impetret amorem & usum meditationis, & frequentem Præsentiæ Dei memoriam.*

Hym

Hymnus ut supra &c.

Antiphona.

MEmor fuit Aloysius tui Domine super stratum Suum: in matutinis meditatus in te, quia fuisti adjutor ejus. In velamento alarum tuarum exultavit, adhæsit anima ejus post te. Ora pro nobis &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui S. Aloysii Confessoris tui beatam animam perenni vultûs tui illuminatione perfundere dignatus es, concede nobis famulis tuis; ut ejus imitatione, te unum super omnia quærentes lucis tuæ radiis jugiter perfrui mereamur. Per Christum Dominum &c.

Jaculatoria.

TU illuminas Lucernam meam

Domine, DEUS meus illumina tenebras meas.

Dies 5ta.

S. Aloysius sæpissimè accedebat ad SS. Sacramentum Eucharistiæ & pœnitentiæ. Frequentiæ huic addidit specialem dispositionem, sub tempus Confessionis passus est semel deliquium, tanta fuerat illius compunctio pro peccato veniali forsitan indeliberato. Primum septimanæ triduum impendebat gratiarum actioni pro Communione præcedentis Dominicæ, sequens triduum dabat præparationi ad suscipiendam futuram S. Communionem, sæpiùsq; quovis die visitationes SS. Sacramenti instituebat.

Sequere hæc exempla S. Aloysii, & subsequetur inde animæ tuæ singularis profectus. Dic hymnum cum ora-

oratione, ad impetrandum ardorem, & devotionem in usu horum Sacramentorum. Jaculatoriam Orationem sæpiùs renovato.

Hymnus ut supra.

Antiphona.

PAraſti in conſpectu meo menſam adverſùs eos, qui tribulant me. Impingvaſti in oleo caput meum, & Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Ora pro nobis &c.

Oremus.

DEUS, qui S. Aloyſium Confeſſorem tuum, mirabilis Sacramenti deliciis abundantiùs recreaſti, & tuæ Charitatis igne vehementiùs accendiſti, concede propitius; ut qui ejus patrocinio gaudemus, ejuſdem etiam imitatione gaudeamus. Per Chriſtum &c.

Jaculatoria.

EX altari tuo Domine Christum Sumamus, in quem Cor & Caro noſtra exultant.

Dies 6ta.

SAnctus Aloyſius mortificabat ſuum innocuum Corpus, jejuniis, Ciliciis, diſciplinis, aliiſq; aſperitatibus; licèt eſſet juvenis, delicatus Princeps, & innocens.

Sequere S. Aloyſii exemplum, in uſu alicujus auſteritatis ad mortificandam carnem, fortè non innocentem, ſed peccatricem. Dic devotè hymnum cum oratione, ut tibi detur Spiritus mortificationis. Per jaculatoriam ſæpiùs in die expete eundem mortificationis Spiritum.

Hymnus ut ſupra.

Antiphona.

SEmper mortificationem JESU Chri-

Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris.

Oremus.

INterveniat pro nobis quæsumus Domine, S. Aloysius Gonzaga Confessor tuus, qui Crucis mortificationem jugiter in suo corpore ad tuæ passionis exemplum, & pro tui nominis honore portavit. Per Christum, &c.

Jaculatoria.

DA Domine JESU, qui passus es pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia tua.

Dies 7ma.

S. Aloysius fuit specialiter devotus Virgini Beatissimæ, cui adhuc in ætate infantili, Florentiæ dedicavit suæ Virginalis puritatis florem.

Assumito Tu quoq; in Advocatam tuam, Reginam Cæli, maximè ut eam experiaris Protectricem tuæ castitatis, statui tuo competentis. Dic Hymnum cum Oratione ad S. Aloysium, ut impetret tibi veram devotionem erga SS. Matrem DEI MARIAM. Per jaculatoriam commenda te sæpiùs Pretiosissimæ DEI Parenti.

Hymnus ut supra.

Antiphona.

VEnerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus. Ora pro nobis &c.

Oremus.

DEUS, qui per Sanctissimam Virginem MARIAM, S. Aloysio incundæ Societatis JESU Filii Tui con

consilium dedisti, eumq; donis cæ-
lestibus exornâsti: tribue nobis
utriusq; interventu, ut Divinæ Vo-
luntati tuæ, in omnibus perfectè
obsequi valeamus. Per eundem
Christum, &c.

Jaculatoria.

MOnstra te esse Matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Dies 8va.

S. Aloysius summo ardebat desiderio salvandæ animæ suæ, cujus Salutem ut redderet certiorem, exuit se Principatu Castilionis, crebriùs sibi id inculcando, dum adhuc viveret in medio divitiarum, honorum, recreationum, vanitatisq; mundanæ: *Quid hæc ad vitam æternam?*

Corforma te juxta tuum posse tálibus sentimentis. Et vivendum tibi est corpore in medio mundanæ vanitatis, animus tamen sit ab appretiatione illius alienus. Cave itaq;, ne inde aliquam animæ tuæ jacturam inferas, & si quod hac in parte delictum admissum est, per pœnitentiam expiare stude. Dic hymnum supra positum cum oratione sequente, ex officio Divino designato pro die festo ipsius, desumpta. Jaculatoriam sæpiùs expende per diem cum affectibus congruis.

Hymnus ut supra.

Antiphona.

HIc vir despiciens mundum & terrena, triumphans, divitias Cælo condidit ore, manu.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas,

℟ Et

℟. Et ostendit illi regnum DEI.

Oremus.

CÆlestium donorum distributor DEUS, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia sociasti; ejus meritis & precibus concede, ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur. Per Christum Dominum, &c.

Jaculatoria.

QUid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Adversio.

DEvotio hæc si inchoabitur ante festum S. Aloysii, quod cadit in 21. Junii, ita, ut terminetur hac ipsa die, vel etiam si inchoabitur aliquâ dominicâ, expedit subsequente Dominica, potissimùm autem

in Festo ipsius Sancti, ad Confessionem & S. Communionem accedere, pro illo obtinendo efficaciùs, quod per S. hujus invocationem expetitur. Congruum autem esset, ut singulis mensibus semel hæc devotio innovetur, addita lectione hujus Libelli de electione vitæ statûs, à qua pendet salus animæ, & cujus Patronus S. Aloysius eligi potest.

Oratio.

A S.R.C. approbata pro die Canonisationis SS. Aloysii & Stanislai Kostka, pro obtinenda vitæ innocentia, quotidie recitanda.

℣. Orate pro nobis SS. Aloysi & Stanislae,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEUS innocentiæ Dator ac Restitutor,

tutor, qui SS. Confessores Aloysium & Stanislaum mirabili vitæ candore ab ipsa adolescentia illustrâsti concede famulis tuis acceptam innocentiæ stolam culparum sordibus non polluere, & à contractis jam maculis, jugibus lacrymis emundare. Per Dominum nostrum &c. Amen.

Sequentia, quæ apponuntur, desumpta sunt, ex libro impresso Viennæ 1714. cui Titulus: Manuductio animæ ad Cælum, sive cura innocentiæ servandæ, & electione Salutaris vitæ statûs confirmandæ.

Motiva S. Aloysii, cur Societatem JESU elegerit.

1 QUia finis Societatis JESU maxi-

xime accedit ad similitudinem vitæ Christi, qui est regula perfectæ virtutis; ut enim Christus propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo, ita finis Societatis est præter propriam, etiam proximi salutem quærere.

2. Legerat in S. Thoma, illam Religionem esse perfectissimam, quæ ad docendum, concionandum, saluti animarum consulendum, labores & studia confert; qui dicit: Actum ex charitate docendi alios, esse perfectiorem martyrio; unius enim animæ salus plus placet DEO, quàm propria corporis carnificina, severissima jejunia, &c.

3. Non tantùm spectabat, ubi salvari, sed ubi magis DEI gloriam, & sic suum erga DEUM & proximum amorem luculentiùs testari posset;

op-

optabat ad Indos & Japones mitti, fidem Christi propagare; sangvinem fundere.

4. Credebat Societatem omni statui, conditioni prodesse; Regibus in aula, mendicis in hospitali, parvis in schola, magnis in concionibus, omnibus in sacro tribunali, domi, & ruri, & militiæ servire; omnibus omnia fieri.

5. Desiderabat specialiter Juventutem DEI timore & amore imbuere! sperabat in Societate sibi occasionem fore in Gymnasiis, Catechesibus, Sodalitiis, &c. id præstandi.

6. Reputabat secum, quòd de suis talentis faciliùs DEO esset rationem redditurus, si ea DEI Gloriæ & animarum saluti impenderet, quàm si otiosa sepeliret.

7. Sperabat se majori cum lætitia mo-

morituram, si plures secum ad cælum duceret: *Vix dignus Olympo est, ad superos, nullo qui comitante venit.*

8. Ut fugeret dignitates Ecclesiasticas, elegit Societatem; cùm sciverit in ea votum emitti non modò nullam dignitatem quærendi, sed nec ultro oblatam admittendi, quàm humilitatem judicabat DEO charissimam, & homini securissimam esse.

9. Videbat Societatem plurimos habere adversarios, tot libros contra illam scriptos, tot quotidie jactari calumnias, ideo beatam judicabat, & Christo propter Justitiam patienti valde conformem; evertendam pridem, nisi â DEO specialiter protegeretur.

10. Audiebat aliorum de Societate judicia valde honorifica: S. Theresa,

resiæ, quæ revelatione didicit hoc *Societatis JESU esse privilegium, ut mortuum Jesuitam obvius JESUS excipiat.* S. Joannæ Virginis Neapolitanæ, cui Christus dixit: *Societas JESU mea est, & illam teneo semper intra cor meum; & non possum ferre, ut in ea sit, qui habeat notabiles defectus.* S. Philippi Neriï, qui sæpiùs desideravit admitti ad Societatem JESU, qui dicebat: *Filii Ignatii, qui perseverant in Societate, & ibi moriuntur, sunt Sancti.* Legit pariter in Annalibus Ordinis S. Francisci apud Boverium, quòd P. Madresio Regis Catalauniæ Confessario revelatum fuerit: *Quicunque moritur in Societate JESU, eum vitâ fruiturum sempiternâ.* Uti & Sanctum Franciscum Borgiam cælitus didicisse, id à DEO Societati da-

datum esse privilegium, ut nullus, qui in ea moritur, sit damnandus. Legit hæc & venerabatur, sed eadem vitæ sanctitate confirmatum ibat.

11. Ingens utilitas, quâ toti orbi, proque omnibus Ordinibus, & Statibus subjecta, & instrumenta præclara per doctiones scholarum erudit. Certè ante scholas à Societate apertas Religiosi valdè pauci erant in multis claustris, quæ nunc præstantibus viris abundant, quorum plerique in Societatis disciplina eruditi, vocationem Religiosam obtinuerunt.

Considerationes, ob quas S. Aloysio Parens ingressum in Societatem JESU dissvasit.

1. HOrtabatur Filium Parens, ut si fixum animo esset Religionem in-

ingredi, talem eligeret, in qua constanter viveret, ac moreretur. In Societate portam dimissioni semper patere apertam, nec paucos esse, qui Societatem post plures etiam annos deserant. Quæ hinc familiæ confusio?

2. Ex aliis ordinibus patere viam ad Cardinalatum & Episcopatum, hos proinde pro familiæ honore præferat, non difficilè futurum, ut ad primas insulas perveniat.

3. Religionem svadebat ut ingrederetur, non ita passim exosam plurimis, nec solùm hæreticis, sed & aliis.

4. Considerare jubebat, quantam secum molestiam ferant illa intensa studia, quæ passim in Societate usurpantur: quàm dura sit puerorum in Scholis doctio? per quæ Spiritus facilè

cilè dissipatur, & devotio impeditur.

5. Societas est aliis Ordinibus recentior, & mollior, nec vivit mendicatò, nec nudipes incedit, nec chorum, nec extraordinaria jejunia vel mortificationes habet vi Regulæ, consequenter minor ibidem est occasio meriti obtinendi.

6. Longa in Societate Probatio, Novitiatûs biennium, diversitas graduum; cum non omnes fiant Professi, & alia multa respectu aliorum Ordinum exotica credebat Pater, quòd Aloysium deterrere debuissent à petendo ad Societatem ingressu. Ex hac enim Societatis ab aliis Religiosis Ordinibus difformitate, varii aliorum Religiosorum, etiam in opinione virtutis & doctrinæ existentium de Societate sen-

sus

fus causantur, nec omnes exotica ista probant.

Responsa S. Aloysii.

AD 1. Nemo ex Societate dimittitur ob virtutem; tam sapiens Religio non abjicit gemmas, sed noxium sangvinem emittit. Ex cælo Angeli, ex Apostolatu Judas dimissus est, nec ideo vel cœlum refugiendum est, vel Christi sequela. Hortus pulchrior unde lolia extirpantur, mundior & sanior habitatio, unde sordes effluunt; Cum mali dimittantur, certus sum me futurum inter optimos. Nemo nisi ob gravissimas causas dimittitur.

Ad 2. Si honores vellet, tum se in sæculo mansurum. Sanctior in Societate humilitas, & ideo floret, quia quod malum est, per dimissionem perdit, quod bonum est, cavet

per

per dignitates amittere. Una porta semper aperta, semper clausa est altera.

Ad 3. A malis vituperari laudabile. Qui Societatem persequuntur vel hæretici sunt, vel invidi, vel ignorantes, vel mali. Quò plus patietur, eò ampliùs florebit.

Ad 4. Ad studia se natum ajebat factumque. His otium impediri, excoli mundum, confundi hæresim, nec impediri pietatem; cum studia hac intentione suscepta, omni choro & oratione meliora, Deoq; gratiora sint.

Ad 5. Nova sæpè meliora sunt veteribus. Quis Ordo DEO charior, & mundo utilior? se dicebat attendere. Mortificatio interior est exteriore melior; quanquam nec à mortificatione sit detsumenda Ordinis

nis perfectio, sed á charitate in DEUM & proximum; quæ ipsa plurimas secum fert mortificationes.

Ad 6. S. Ignatium dicebat legisse omnium Ordinum Regulas, & iis visis, quod optimum judicabat, selegisse; esse omnia tum à Pontificibus, tum à Concilio Tridentino laudata.

Quæ Religio præeligenda.

1. Multi facilè se determinant ad statum Religiosum, in hoc solùm dubii, quem eligere tutò debeant. Pro quo lumine, ulteriùs DEI voluntas precibus, & piis operibus exquirenda.

2. Cæteris paribus eligenda est Religio, quæ est perfectior, nam in omnibus, quod optimum censemus, eligimus.

3. Perfectio Religionis non est in

in majori externo rigore, S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 6. ait: Perfectissimam esse mixtam, quæ activam vitam jungit contemplativæ.

4. Non eligenda, quæ in se sit perfectissima, sed quæ deliberantis naturæ talentis, qualitatibus, est optima, in qua talenta naturæ, & dona gratiæ utiliùs impendi possunt.

5. Vide, quæ Religio sit DEO gratior? ubi possint fieri plura bona? ubi occasio actionum heroicarum, & laborum insignium pro gloria DEI præstandorum? quæ vitæ Christi conformior?

6. Non attendendum, ubi sit victus lautior, splendidior amictus, major vivendi commoditas. Nam si bonus Religiosus esse vis, hæc in postremis habebis; nec majores com-

commoditates appetes, quàm fortè in sæculo habuisses.

7. Nec ideo amplectenda Religio, quòd eam Parentes, aut Cognati svadeant, nisi idem etiam DEUS svadeat; qui propter hominem quemcunque intrat Religionem, graviter errat, & ab homine, non à DEO præmium expectet.

8. Ingredi velle Religionem spe promotionis secuturæ, vel appetitu majoris libertatis, vanitas est. Ingredi, ut sine tua cura vivas, est panem, non Christum, quærere.

9. Vide, in qua Religione sit major votorum Religiosorum observantia. Paupertas ibi est maior, ubi magis abest proprietas, & usus pecuniæ in privato Religioso. Castitas floret, ubi absunt comessationes, otium, liberior cum externis

sine teste conversatio. Viget magis obedientia, ubi desunt exemptiones, privilegia, &c.

10. Attende, ubi major compositio, & modestia, & morum gravitas? ubi major superiorum vigilantia? vel ubi boni magni fiant; & mali contemnantur, aut etiam repellantur? ubi pauciora scandala & mala exempla?

11. Ubi magis exulet ambitio, quæ maximorum dissidiorum est mater?

12. Ubi vigeat major unio & concordia? *Ubi enim pax, ibi DEUS.* Non quæcunquè autem pax, sed in dilectione DEI fundata, aliàs Nahum 1. *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium,*

13. Ordinis antiquitas, vel no-

vita

vitas ad ejusdem sanctitatem parùm faciunt. Observa quomodo nunc quivis ferveat in observatione Regulari?

14. In qua Religione sperare possis majorem â Confratribus tuis charitatem, plura pro animæ tuæ refrigerio sacra, vel preces?

15. Ea demum appetenda, in quam sperare possis admissionem; nec tamen esto pusillanimis. Si DEUS dedit velle, dabit & perficere. Tenta, te insinua.

16. Illud etiam attendere proderit: quæ Religio inter homines magis æstimetur? quæ universaliter toti mundo utilior? ubi tu secundùm tuorum talentorum mensuram plus boni te facturum sperare possis, adeòque plura apud DEUM pro æternitate merita colligere valeas?

hanc crede tibi à DEO præ reliquis esse destinatam.

17. Dum has considerationes facis, illud præ primis attende, ne vel à notitia vel affectu Religiosorum te duci sinas, sed rationes benè pondera, quid tibi expediat?

An consultum sit svadere alicui Religionem?

1. SUnt Religiones, quæ priusquam petentem admittant, ex eo quærunt, an ab aliquo sit persvasus? & si affirmativè respondeat, ejus admissionem differunt, ut rem magis examinet, ac cum DEO conferat.

2. Si locutio hominis, solùm sit instrumentum, quo DEUS utitur ad aliquem vocandum ad Religionem, tum vocatio est à DEO, & securè potest dari executioni, sic Andreas Petrum adduxit ad Christum

S

S. Bernardus triginta aliis Religionem persvasit, à Christo dictum est Apostolis: *Faciam vos fieri Piscatores hominum.* Matth. 4.

3. Christus vocans Saulum ad Apostolatum, misit eum ad Ananiam: *Ille tibi dicet, quid te oporteat facere.* Actor. 5. Homines nempe DEUS regit & instruit per homines.

4. Licèt *Fides sit donum ac lumen DEI,* tamen est *Fides ex auditu.* Rom. 10. Primam nempe scintillam seu fidei, seu vocationis injicit & accendit DEUS, quæ deinde voce hominis, quasi flabello animatur in flammam luculentam.

5. Si homo non proponat suam authoritatem, non affectum, non munera; sed verbum DEI, sed motiva supernaturalia, tunc eum se-

curè non solùm audire, verùm & sequi potes; *talia verba quinque præstabunt decem millibus.* 1. Cor. 17. quanquam:

6. S. Thomas etiam munusculis attractum putet veram habere vocationem, eò quòd etiam is, qui naturalibus motivis impulsus Religionem intrat, deinde accedente solidiori instructione mutare soleat motivum, & veram vocationem obtinere.

An liceat impedire aliquem à Religione?

1. QUisque post annum decimum quartum ætatis habet jus ingrediendi Religionem, si velit; à quo jure qui illum vi, vel fraude impedit, graviter peccat, quia facit illi in re gravi injuriam.

2. Si quis alterum impediret ab officio

officio obtinendo, à matrimonio, ab alimentatione totius vitæ, graviter delinqueret: quantò magis ille, qui â mojori longè bono, nempe Religione impedit.

3. Non solùm vi, aut fraude, minis, verberibus, &c. impedire ab ingressu Religionis, peccatum est; sed etiam metu reverentiali, importunis precibus, & lachrymis Parentum; licèt enim talis metus & moralis coactio in foro externo non videatur cadere in virum constantem; in foro conscientiæ tamen tollere judicatur libertatem, adeòque per talem gravis fit injuria illi, qui his impeditur ab eo bono, ad quod jus habet.

4. Qui dissvadet alteri Religionem, in qua is salvatus fuisset, si deinde pereat, quod facilè fieri po-

teſt, quid aget, ubi DEUS animam hujus ex ejus manibus repetiturus eſt? quomodo talis anima damnata maledicet æternùm tali ſeductori.

5. Si quem ad DEI obſequium properantem quis impediat, non illi ſolùm, ſed & DEO injuriam facit, dum DEI conſilium ſuo pervertit; animam ad Chriſti caſtra vocatam, ſub diaboli vexillo detinet. *Retrahere à Religione, eſt Chriſtum in alterius pectore occidere.* S. Hier. ep. ad Heliodor.

6. Si Rex ad aulam invitaret aliquem, nefas duceres impedire, & quid Regi Regum reſpondebis, ſi quem ab ejus obſequio avoces.

Axiomata bonæ Deliberationis.

1. IN Deliberatione ſequi potiùs oportet rationem, quàm ſenſum; ideo DEUS homini rationem dedit, & per

& per hanc ab animalibus distinxit, ut eam sequeretur. Sensum sequi, brutorum est.

2. Ex duobus donis, id, quod majus bonum est, eligendum; intellige quod majus bonum est verè, non tantùm apparenter, præterea quod est majus bonum, non solùm tuo sed aliorum prudentum judicio.

3. E duobus malis, minus eligendum. Quod autem sit minus, dependere debet à prudenti judicio.

4. In concursu plurium bonorum, aut malorum, non attendendum solummodo ad majorem numerum, sed potiùs ad pondus, cùm unum bonum pluribus bonis prævalere possit.

5. Bona æterna bonis temporalibus, & mala temporalia malis æ-

ternis præeligenda sunt. Ideo bona omnia temporalia negligenda sunt, ut malum æternum caveatur.

6. Bona certa bonis incertis; mala certa malis incertis præferenda, juxta S. Aug: tene certum, dimitte incertum.

7. Bona in re, prævalent bonis in spe, id est præsentia futuris. Hoc intellige de temporalibus; nam bona æterna futura, prævalent præsentibus temporalibus.

8. Nullus status in creatis inveniri potest, in quo non multa occurrant incommoda; ille proinde eligendus, qui plura commoda, & pauciora habuerit incommoda.

9. Non semper est major virtus, ubi major est arduitas, si hæc se teneat ex parte operantis.

10. Corporis mortificatio non est me-

melior, animi mortificatione. Paupertas non est semper perfectior, quæ est in se major, sed quæ fini Religionis est magis proportionata.

11. Etiam in statu imperfectiori perfectiùs vivet is, cui propter impedimentum naturæ in sua potestate non sitæ, deest aliquid, quod exigitur ad statum in se perfectiorem. Sic debilior corpore perfectiùs vivet in Religione, quò ad externas mortificationes minùs austerâ.

12. Si DEUS alicui negavit id, quod hic aut ille status postulat, certus sit, quòd illum non destinet ad hunc statum.

13. Bonus Spiritus se bonis insinuat placidè, sicut gutta in spongiam, & inducit animi hilaritatem, & movet ad devotionem.

14. Spiritus bonus malis se insinuat implacidè, sicut imber cadens

petram, & conscientiam pungit, terret.

15. Malus spiritus bonos invalit implacidè, cum perturbatione, malos verò placidè; & his objicit delectationes sensuales.

16. Quando consolatio venit nullâ præcedente causâ sensibili, est signum Creatoris absquè ullis mediis in creatura rationali operantis.

17. In motibus internis, quorum causas & originem ignoras, attende finem ad quem inclinant, si hic bonus est: indubiè motus ille oritur à bono Spiritu; si finis vel malus est, vel majoris boni præpeditivus, originem ducit à malo spiritu.

18. In desolatione, dum nempe anxietatem, pusillanimitatem, & intellectûs obscuritatem, & animi torporem sentis, nihil est determinandum. Signa

Signa Vocationis Divinæ.

I. PRobate *Spiritus, si ex DEO sunt.* I. Joan. II. Nec enim omni instinctui credendum, nequè cuncta desideria, quæ bona esse censentur, sunt opere exequenda, cum sæpè dæmon se possit in Angelum lucis transfigurare.

II. Si ab ipsa pueritia diu & constanter sentiatur affectus ad aliquem statum, idque maximè sub oratione, & pietatis exercitiis absque eo, quòd ille status ab ullo sit pervasus.

III. Si quis ita constitutus sit, ut nil erederetur hic instinctus esse à DEO, promptissimus foret, ei nullo modo obtemperare.

IV. Si quoties recordatur hujus instinctûs, toties sentiat se impelli ad bonum, & desideria Christum humilem, pauperem, sequendi, eaquè omnia præstandi, quæ ad animæ salutem, & DEI gloriam spectant.

V. Si talis instinctus veniat cum animæ pace, & lætitiâ, & in longiori ejus cogitatione gustum & consolationem sentiat è contra dum ab eo se avertit, & mentem aliò applicat, sentiat animo suo non satisfieri.

VI. Si sentiat sibi in animo quasi promitti vires ad perferendum omnia onera & incommoda illius statûs, addiquè spem a

vin-

incendas impugnationes tum dæmonum, am aliunde occurrentes.

VII. Si rationes sibi objectas facilè solere possit, nec aliorum dissvasiones multùm curet; nec moveatur in oppositum alirum exemplis, quidcunquè illi agant, aut ligant.

VIII. Si desideria ad hunc statum occurant & se insinuent, absquè eo, quod quis udiosè se ad illum reflectat, maximè si id ontingat in casu aliquo subitaneo.

IX. Inclinatio hæc ad aliquem statum non ecessariò debet esse valde vehemens, sed fficit, ut sit talis, ut adverti possit. Errant roinde, qui non credunt se vocari, nisi uasi ardeant præ desiderio alicujus statûs; ut nisi continuò, diu noctuquè se impelli, c quasi per capillos ad eum se trahi sentint, quod licèt aliquando faciat DEUS, lerumquè tamen non facit. Tonabat quiem vehementiùs, dum Saulum ad se vocait, Apostolos tamen in sibilo auræ tenuis ermodum transeuntis vocavit, & uterquè odus erat vox DEI.

X. Præter hanc affectionem ad aliquem tatum, solet DEUS vocare per illustratiem intellectûs, qua quis perpensis rationius agnoscit, quis status pro sua salute, aiisque circumstantiis sit melior.

XI. Si & affectio interna trahat, & intellectus statum svadeat, non est, ut quis duitet.

XII. Si

XII. Si ratio svadeat statum aliquem, & voluntas quasi reluctetur, absquè ulla positiva ratione, sed solùm ex aliquo metu, vel naturali irresolutione, præ reliquis est certius indicium veræ vocationis; nam signum est, quòd inter se pugnet bonus & malus spiritus; bono adhærere etiam cum renitentia proprii appetitûs est majoris meriti. Talis vocatio est constantior; affectus enim facilè mutatur, ratio semper manet. Dum Christus se juxta Patris æterni vocationem, & voluntatem vellet inchoandæ passioni accingere, *cæpit*, scripturâ teste, *pavere, tædere, & mœstus esse*; nihilominus tamen ab executione voluntatis divinæ non recessit, sed se ad eam adimplendam animavit, dicens: *Surgite, eamus.* Ita, decet eum agere, qui ratione convincitur, quæ sit voluntas DEI, licèt natura, & sensualitas ab ejus executione horrorem, & renitentiam ostendat. Vetus hæc & optimè nota omnibus Ascetis pugna est, in qua *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem* Gal. V.

Signa veræ Vocationis ad determinatam Religionem.

1. PRopositum de ingressu Religionis non indigere probatione, utrùm sit à DEO? docet *S. Thom: II. II. quæst: ult. art. ult. ad 1.* intellige, quando finis primarius est ex

ex motivo supernaturali, nam ad nihil salutare nos moveri sinè gratia DEI, docet fides. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joan: VI.

II. Caro & sanguis non revelat ea, quæ spiritûs sunt, non appetit mortificationes, solitudinem, paupertatem.

III. Dæmon non vocat ad Religionem, quia non svadet humilitatem, honorum contemptum; aliunde quasi leo rugiens circuit quærens, quem devoret, non quomodo salvet.

IV. Licèt dæmon possit se in Angelum lucis transfigurare, non tamen facilè credendum est, quòd suggerat Religionem, ut in ruinam præcipitet; quod ipsum facilè colligi potest.

V. Si finis eligendi Religionem sit malus, sicut dum Basilius magus petebat Religionem ingredi, ut sub habitu Monachi artes magicas faciliùs posset occultare, certum est hanc vocationem esse à dæmone.

VI. Si quis appetat statum Religiosum mollem, minùs perfectum, ubi major libertas, vita commodior; cùm tamen ille ob satisfactionem pro peccatis, vel habituum pravorum emendationem indigeret severiori, ubi major corporis castigatio sit, & plures abstinentiæ; hic dæmon svaderet bonum factum.

VII. Si quis immoderato fervore actus, ap-

appetit Religionem duram, quam ex complexionis aut educationis teneritudine ferre non possit, labor est dæmonis, volentis hominem deducere ad desperationem.

VIII. Si quis aspiret optimâ mente ad Religionem, qui tamen teneretur succurrere Parentibus; non agitur à bono spiritu; nec enim DEUS svadet bonum, ut inde eveniat malum; nec minus bonum, impeditivum majoris.

IX. Si quis velit statum aut Monasterium ingredi, quia ibi habet notum, vel Cognatum, vel superiorem sibi faventem, à quo favores & promotionem sperare possit, vocatio non est à DEO, sed carne & sangvine, licèt nihil mali intendat.

X. Si finis ingrediendi Religionem est ex causa temporali v. g. ut consequatur bonum aliquod temporale, vel malum temporale fugiat, solùm secundariâ, & per modum occasionis; talis vocatio potest esse à DEO, modò causa motiva principalis sit supernaturalis.

XI. Si quis ex paupertate acquirat animum ad Religionem, ut non cogatur esse solicitus de alimentis, & aliis necessariis, tunc hæc vocatio est à DEO, quando primariò in Religione quærit DEO servire, animam salvare; licèt non multùm deliberâsset, si dives fuisset; in hoc enim desiderium sine cura vivendi, solùm fuit occasio deliberandi de statu vitæ.

XII.

XII. Majora & certiora signa requiruntur ad manendum in sæculo, quàm ad ingressum Religionis, cùm hoc sit de bono meliori; & apud omnes certum sit statum Religionum secundùm se esse perfectiorem sæculari, & tutiorem ad salutem, minimùm de toto tenere loquendo; licèt in particulari alicui in individuo, ob speciales rationes possit status sæcularis esse magis aptus ad salutem.

XIII. Si quis moveatur ad Religionem, antequam ullum in ea noscat, vel cum ullo tangat, signum est operantis Spiritûs Sancti, ideóque tutò hunc sequi potest.

Quomodo determinatio statûs sit facienda?

I. SEmper hærere in dubio, nec ullum deliberationi finem ponere, gravis est error. Si metum sequeris ex eo, quòd fortè posses errare, nunquam quidquam eliges, quia semper manebis homo. Satis prudenter determinabis, quod DEO consulto, rationibus svadentibus, approbante viro sapiente & pio concludis.

II. Die, quo deliberationem concludere statuisti, solitò devotiùs communica; ferventiùs ora; fac plura bona opera; cura legi, vel audi Missam pro animabus in purgatorio; Beatam Virginem, Angelum Custodem, & alios Patronos invoca.

III. Peractâ communione domum redux

separa

separa te ab omnibus aliis hominibus, & negotiis.

IV. Imaginare, ac si nihil in orbe existeret præter DEUM, & te, unicumquè tuum negotium esse, animam tuam salvare.

V. Quære ex te, quid tibi expediat? status sæcularis? an Ecclesiasticus? an Religiosus?

VI. Habe chartas præparatas, in quibus pro singulis statibus rationes pro, vel contra notare possis.

VII. In consilium voca DEUM, quid ille verbo, exemplo, instinctu tibi svadeat? Secundò, quid fini, ad quem creatus es, & quem unicè intendis, assequendo utiliùs? Tertiò, quo in statu vixisse optares in morte? Quartò, in quo statu faciliùs de talentis DEO rationem reddere possis? Quintò, quid tu alteri, quem valde amas, in hac re svaderes? Sextò? quid tuæ naturæ, viribus, & talentis accommodatum magis?

VIII. Rationes, quæ te ad hunc vel illum vitæ statum moveant, debent esse supernaturales, æternæ; licèt etiam humanæ prudentiæ conformes admitti possint. Tu singulas in chartam conjice, ut eas directori tuo proponere possis.

IX. Non statim uno commodo alicujus statûs viso, illi adhærendum, sicut nec ob unum incommodum ab illo recedendum; sed omnibus simul collectis, videndum, quid magis expediat pro æternitate beata? Cùm

in

n omni ſtatu ſint aliqua commoda, & ali-
ua incommoda, vix fiet deliberatio, in qua
na pars ita certò & clarè eligenda propo-
atur, quin aliquid in contrarium occurrat,
ò prudenter inclinat deliberans, quò po-
iores cauſæ vocant.

X. His ita conſideratis & conſcriptis, fa-
ilè advertes, quò inclinent rationes, & ad
d te coram DEO reſolve, ex ſuppoſitione,
uòd animæ tuæ director probaturus ſit, cum
uo quamprimùm tuam mentem & ratio-
es confer.

XI. Si determinare te non poſſes, non ſva-
erem, ut rem ſorti committas, v. g. ut
iverſos ſtatus diverſis chartis inſcribendo,
uem ſorte traheres, ad illum te reſolveres,
ed potiùs pro determinatione pleniori poſ-
es facere S. Ignatii exercitia per aliquot
ies.

XII. Si rationes ſatis clarè te invitent
d aliquem ſtatum, à quo tamen affectus
bhorret, non debes impediri indetermina-
ione, præſtat enim rationem, quàm cœcum
ffectum ſequi.

XIII. Dum ſic deliberas, cum DEO, San-
tis, animæ tuæ Arbitro: cum aliis pauca
hac de re agas; multi enim conſiliariis plùs
bſunt, quàm proſint; faciliùs te perplexum
reddent, quàm tibi dubium eximant; maxi-
mè cùm vocatio vera magis à DEO pende-
at, quàm à prudentia humana; conſequenter

ſatis

satis erit cum illo agere, quem tibi DEUS sui locò destinavit, nempe cum Confessario. Quanquam deliberatione factâ non veteres mentem tuam etiam iis, ad quos ea res pertinet, aperire.

Monita post factam electionem ad Religionem.

I. DEO pro hac gratia, quâ post Creationem, & Redemptionem vix major est, potest, grates agat; quod fieri potest in communione: simulquè roget, ut hanc Sanctam in eo cogitationem conservet, & ad eam perficiendam, & amolienda omnia impedimenta vires tribuat.

II. Post DEUM maximè Sanctissimæ Matri tuæ vocationis executionem commenda, ut quæ est Salutis Mater, sit etiam viæ ad tuam salutem Manuductrix. Hæc Religionum omnium Mater est.

III. Proderit etiam aliquem Sanctorum in Patronum vocationis eligere, cui negotium hoc frequentiùs, ferventiùsque commendetur. Patronus hic ex illo Ordine esse poterit, quem quis elegit.

IV. Vocationis adimplendæ magnum a frequens in se desiderium excitet, firmumque propositum faciat: nullâ tentatione carnis, mundi, aut hominum ab ea recedendi.

V. Media huic fini opportuna adhibend[a], qu[æ]

quæ plerumquè sunt duplicia. *I. Pietas*, quæ consistit in Sacramentorum frequentia, in extrinseca, præter intrinsecam, devotione, in bono exemplo condiscipulis dando, &c. II. Studium diligens & accuratum.

VI. Vocationem suam non multùm jactare, nec aliis, quorum non interest, manifestare, præstat.

VII. Si quos ejusdem esse vocationis adverterit, poterit cum iis frequentiùs agere. Cùm piis tamen & paucis, talibusquè, è quorum conversatione sit spes profectûs in vita sancta, per conversationem ab omni levitate & peccato etiam levi alienam, per colloquia, de mundi vanitate, præstantia virtutis, Religiosi statûs felicitate, de periculis in sæculo; tales enim sermones decent eos, qui habent vocationem ad Religionem.

VIII. Si quæ difficultates contra vocationem suboriantur, ut primùm incidunt, aut ab aliis audiuntur, statim aperiendæ sunt Patri spirituali.

IX. Cavendus est omnis excessus, nec hospitia adeunda, nec convivia, nuptiæ, compotationes, aut aliæ, ut vocantur, Societates frequentandæ. Vitandæ pariter rixæ & contentiones, &c.

X. Conetur se accommodare sensim ad modum vivendi electi statûs, inquirat de ejus consvetudinibus, praxibus Pietatis, mortificationibus, & imitari conetur.

XI. Non

XI. Non oberit, si motiva scripto sibi annotet, quibus ad hunc statum eligendum est inductus, quæ in tentatione, vel aliqua desolatione relegere poterit, ut se confirmet.

XII. Petat etiam à Confessario informari de difficultatibus, quæ in Ordine electo occurrere possent, item quæ sit votorum obligatio, ut ad hæc se præparare possit.

XIII. Denique sæpiùs consideret illud Christi: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI; Sicut enim vocatio est signum prædestinationis, ita à vocatione resilire signum est reprobationis.

XIV. Votum tamen non facilè faciat, maximè si vocationis fundamentum sit affectus vehemens ad aliquem statum, posset enim contingere, ut affectu imminuto voti pœniteat, maximè cùm votum Religionis non facilè possit commutari vel dispensari etiam in Jubileis. Si tamen vocatio sit fundata in rationibus valde convincentibus, & adessent multæ in oppositum tentationes posset talis accedente Confessarii assensu votum emittere, sed hoc in raro casu.

XV. Ad multa difficilia in Religione se præparet. Errant: qui aureos sibi montes promittunt; ubique invenientur difficultates.

An possit quis vocationem non sequi?

I. Doctrina est Doctorum, quòd vocationem non sequi, non sit peccatum simpliciter; eò quòd vocatio non sit præceptum, sed consilium: *Si vis perfectus esse.* Matth. XIX. Si tamen quis agnoscat, vocationem hanc esse in remedium suæ fragilitatis ad salutem, & conscientia dictet, magnum in sæculo salutis esse discrimen, talis sub peccato obligatur ad vocationem implendam. Nam juxta S. Gregorium aliqui sunt, qui nisi omnia relinquant, salvari apud DEUM nullatenus possunt.

II. Si autem nesciat, an in remedium necessarium salutis, an tantùm ad augmentum præmii DEUS vocet, tunc timeat, ne, si vocationi dissentiat, illud audiat, Psalm. CXVIII. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Nam:

III. Qui consilium vocationis non sequuntur, plerumquè non salvantur. Prævidit enim DEUS, te in his v. g. circumstantiis peccaturum, ideo te vocavit: quia verò vocanti non respondes, peccabis, & peribis.

IV. Ille juvenis Evangelicus erat innocens, cùm ipse fassus sit, se omnia mandata à juventute servâsse, ob quod à Christo dilectus est. Dein tamen periit damnatus, nempe: quia DEUM vocantem non secutus, in peccata incidit.

V.

V. Idem DEUS minatur omnibus vocationem reſpuentibus, Prov: I. *Vocavi te, & renuiſti; ego quoque in interitu tuo ridebo.*

VI. Qui gratiam vocantem DEI negligit, meretur, ut alias gratias ei DEUS ſubtrahat, unde fit, ut talis æternùm pereat. Si te Rex ad ſuum obſequium vocaret, tuque ſinè juſta cauſa ob tuam majorem commoditatem non ires, putaſne, quòd Rex magnam in poſterum tui curam haberet?

VII. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno DEI.* Ut vocationem ſequi, ſignum eſt prædeſtinationis ad cœlum; ita eam negligere, ſignum eſt reprobationis.

VIII. Pleni ſunt Religionum Annales triſtibus prorſùs exemplis eorum, qui à DEO ad Religionem vocati, nec hoc Domini conſilium ſecuti, non modò ſpe ſuâ, ob quam vocationem excuſſerunt, exciderint, ſed in varias calamitates, mortem infamem inciderint. Unum ſit pro mille aliis, quod Toleti in Hiſpania nobili Adoleſcenti accidit, qui cum vocationem, quam ad ſtatum Religioſum habuit, diſſimulâſſet, eamque hilariori vitâ excutere laborâſſet, ſenſim ſinè ſenſu à vita proba & innocente ad ſequiorem, per malorum ſociorum exempla deductus eò venit, ut brevi etiam anteſignanum ad vitia ageret; non tamen diu: nam febriculâ ad lectum proſtratus eò intra pau-

culos dies deductus est, ut mors præ foribus esse nuntiaretur: proinde tam medicus, quàm circumfusi ad lectum amici eum ad confessionem hortati sunt, sed frustra; vocatur Confessarius, sed nec hic eum ad eluenda exomologesi peccata disponere potuit; ad DEUM proinde orationes pro illo fundere cum domesticis statuit, & dum coram Crucifixi effigie pro illo Psalmum *De profundis* oraret, ad illa verba: *Fiant aures tuæ intendentes, &c.* Crucifixi effigies, resolutis de Cruce brachiis obturavit aures, & tremendam hanc vocem emisit: *Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo,* & sub his verbis infelicem animam infelix juvenis cum vita amisi. Quis dubitet! quin Juvenis hic vitam meliori fine terminâssset, si DEI vocationem secutus, se Religioso statui mancipâsset. Heu! quàm periculoso calle gradiuntur illi, qui seriem Divinæ Providentiæ ad suæ voluntatis arbitrium detorquere nituntur!

Executio Vocationis an differenda?

I. QUi sponte suâ differunt vocationis executionem, plerumque perdunt; nec rarò fiunt deterrimi. Hæc DEI pœna est. Juvenis Evangelicus, qui ob Patris sepulturam Christum sequi distulit, vocationem perdidit, & ut SS. PP. dicunt, periit. Si aliquando,

do, cùr non modò? si non modò, fortè nunquã?

II. Certò sibi persvadeat, quidquid temporis in vocationis executione, sponte suâ quis interponit, tamdiu maximis omnino damnis se esse expositum: differre enim, est non velle; ideo Chrysostomus ait: Torporis initium est hæc dilatio, est ultimum dæmonis diverticulum, ut procrastinatione sensim fervor intepescat, sicque diabolus faciliùs eum plenè ab hac mente retineat.

III. Quis vult Conciliis, & omnibus Doctoribus esse sapientior? qui omnes docent posse quemvis decimo quinto ætatis anno elapso, etiam invitis Parentibus Religionem ingredi. Certè Scripturâ teste: *Bonum est Viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Thr. III.

IV. Nec dicas: Juvenes non cognoscunt suas vires, nec intelligunt, quid ipsis conducibiliùs sit, nec scire possunt, an vocatio sit à DEO &c. Qui enim hodie nescit, quomodo post annum resciet, ubi erit pejor, & gratiâ DEI indignior? *Non est, crede mihi, sapientis dicere: vivam; sera nimis vita est crastina, vive hodie.*

V. Ætas quò minor, eò aptior est instructioni; sicuti etiam in omnibus artibus citò juventus applicatur, ut eas tantò perfectiùs assequatur: parvæ arbusculæ debent in hortum transferri, ut fructum ferant, in grandioribus periculum est, ne translatæ exarescant.

VI. Si juvenes diutiùs maneant in sæculo, cum cera mollis instar omnem figuram recipiant; facilè malis consuetudinibus assuefiunt. Ætas illa ab Anno XV. ætatis, usque ad XVIII. & ab hoc usque ad XXV. summis exposita est periculis. Denique navis quamdiu extra portum est, in naufragii periculo est.

VII. S. Anselmus ait; Qui Juvenes ingrediuntur, sunt similes Angelis nunquam lapsis, qui nesciunt, quid sit corruptela; ita Religioni assuefiunt, ut vix ullam difficultatem experiantur. Spiritualia facilè imbibunt, quia phantasia necdum turpibus est infecta speciebus, & quia ignoti nulla cupido, tales certi sunt de innocentia tumulo inferendâ.

VIII. Ita à Christo Vocatorum exempla docent. *Levi* sedens ad telonium, *surgens*, relictis omnibus secutus est eum, Luc. V. Petrus & Andreas *continuò* relictis retibus, Jacobus & Joannes *statim* relictis retibus & Patre, Matth. IV. Cœcus, projecto vestimento suo, *exiliens* venit ad eum vocantem. Marc. X.

IX. Nec ætas te excuset, si decimum quintum ætatis annum expleviſti. S. Franciscus à Paula XIII. S. Thomas XIV. S. Benedictus XII. annorum Religionem ingressi sunt. Ille, quem Matth: XIX. Christus vocavit, Adolescentulus erat. Felicissimus, qui in prima innoce ntia Religionem ingreditur! talis offert DEO sacrificium absque macula.

X.

X. Gratius DEO donum est, si id quod offertur, sit purum adhuc & innocens, ideo dicit: *Sinite parvulos venire ad me.* Marc. X. Credereſne eum esse humanum, qui te donare vellet flore marcido, fructu putrido, carne rancidâ? nec tu te DEO offerre debes, integritate jam defloratâ, mente infectâ. Fructus præcoces gratiores, qui citò dat, bis dat.

XI. Nescit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, S. Ambr.

An Parentibus à vocatione revocantibus obediendum?

I. POstquam dæmon desperat tentationibus candidatum vincere, Parentes, Cognatos, &c. pro instrumento adhibet, ut his voluntatem invertat. Certùm proinde habe, quidquid deliberationem ritè factam impedit, id omne à dæmone instigari.

II. Natura indidit affectum tenerum erga Parentes; sed præceptum DEI jubet majorem exhiberi DEO. *Qui amat Patrem & Matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth. X.

III. Quid alii dicant, aut agant, illi viderint; tu curam tuæ salutis habe: nemo pro te Judici respondebit, si vocationem ejus negligas; tui locò nullus infernum intrabit; tu, non alius, ob neglectam inspirationem punieris, quia cognovisti volun-

tatem Domini tui, & non feciſti. Luc: XII.

IV. Sed Mater flet, inquies. Reſpondet Climacus: Meliùs eſt contriſtari Parentes, quàm contriſtari Dominum JESUM; hic nos creavit & ſalvavit, illi ſæpè ſuos amando perdiderunt. Fleant illi, modò gaudeant Angeli, fleant illi potiùs nunc, quàm ut tu fleas æternùm. Veni ſeparare hominem adversùs Patrem ſuum. Matth: X.

V. Sed præceptum DEI Parentibus jubet obedire. Ita, ſi nihil contra DEI voluntatem jubeant. Rectè Bernardus: Sola cauſa non obediendi Parentibus, DEUS eſt. Si in infirmitate plùs medico, quàm Patri obedis, cur non etiam in vocatione DEO potiùs, quàm Parenti obediendum? *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, non eſt me dignus.* Matth: VIII.

VI. Certa apud omnes doctrina eſt: Filium poſt XV. ætatis annos, etiam quomodocunque invitis Parentibus, ingredi poſſe Religionem; & qui talem impedit, ei facit injuriam. Niſi extremæ Parentis neceſſitati, filium ſuccurrere jubeat præceptum.

VII. Chriſtus ipſe dolentibus Parentibus, & inſciis, in templo remanſit; cur ad DEUM vocatus, etiam invitis Parentibus, ſi aliter non poſſit, ire renuat? Ita fecêre SS. Benedictus, Calybita, Thomas, Stanislaus, & ſexcenti alii. Quanquam optandum ſit, ut bonâ Parentum veniâ, & cum eorum benedictione filius diſcedat.

VIII.

VIII. Sufficiat dictum S. Hieronymi Ep. I. Licèt parvulus è collo pendeat nobis, licèt sparso crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutriebat mater, ostendat; licèt in limine Pater jaceat: per calcatam perge Matrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solùm pietatis genus est, in hac re esse crudelem.

IX. Si te Parentes impedire velint, tu eorum iram & affectus moderatè feras; rationes oppone objectionibus, calumnias cum demissione excipe; aliorum interceſſione conare eos flectere. Optimum hic medium fervor est, & constantia; hac enim vis facilimè flectuntur Parentes, imò sæpè ideo repugnant, ut fervorem tuum experiantur, & videant, an veram vocationem habeas? quod tu facilè ostendes, rerum temporalium, gaudiorum, epularum, pecuniæ, quam offerunt, contemptu.

X. Parata habe, quæ objectionibus reponas, si v. g. dicat Pater: durum sibi esse filio privari. DEUS dedit Filium Unigenitum pro nobis, & quidem ad mortem tam acerbam. II. Si Imperator filium vocaret ad suum obsequium, nunquid eo parens privari vellet, cur in DEUM sit minùs humanus? III. Filius magis est DEI, quàm Parentis; quid si filius globo, aut alio casu moreretur? Quid si DEUS & Patrem, & Filium puniat?

Ten-

Tentationes contra vocationem ad Religionem:

Timeo, quòd non perseveravero.

I. VAnus iste timor est, nunquam à DEO separaberis per regressum, nisi tu ipse volueris; DEUS nullum deserit, nisi à quo prius deseritur; quid times id, quod in tua est potestate?

II. Si multi non perseverârunt, certè longè & incomparabiliter plures perseverârunt, cur timeam potiùs paucorum, quàm plurium amplectar exemplum.

III. Qui dedit velle, dabit & perficere. DEUS non est author operis imperfecti. Facienti, quod est in se, DEUS non denegabit gratiam.

IV. Potuerunt hi & hæ, qui te fuerunt minùs apti, quique minùs deliberârunt, nec tam claris indiciis à DEO vocati fuerunt; cur tu non possis?

V. Licèt alicui mercatura non benè cesserit, licèt in officio aliquis damnum passus fuerit, nemo prudens officium negligit, aut ad mercaturam vocatus eam horret. Cur tu Religionem, quæ paucis non benè cessit, adire timeas?

VI. Pusillanimitas, imò imprudens ille metus est, qui nullam certam causam habet, sed solùm innititur fortuito eventui, qui

fortè

fortè accidere posset. Hic metus si deberet aliquem ab operando retardare, nihil unquam ageremus, quia cuilibet rei fortè potest aliquod periculum subesse. Nullum deberemus statum amplecti, quia nullus est status, qui non aliquibus malè cesserit.

VII. Dic proinde: In te Domine speravi, non confundar in æternum. Projice te in sinum Providentiæ DEI. Optimus ille est; nisi sciret tibi expedire hanc vocationem, non illam tibi dedisset. Illius nutum sequere, non errabis. Fiat voluntas tua.

Sufficit mundum affectu relinquere.

I. UT in rebus aliis, sic in salutis negotio, si sapis, id, quod securius est, eliges. Isto fluvium transnatare fortè posses, malis navi trajicere, quia non vis vitam temporalem periculo exponere; & cur velis æternam?

II. Deserere opes affectu, & non re, vix est possibile; eo ipso, quòd te resolvere non possis ad eas re deserendas, satis ostendis, quanto in eas affectu ducaris. Idem tibi esto judicium de honoribus & voluptatibus.

III. DEUS tibi vocationem ingerendo, voluit à te non solùm affectu, sed re ipsâ mundum, & omnia quæ in eo sunt, deseri, proinde ad utrumque obligaris; unum sine altero non sufficit.

IV. Re-

IV. Relinquere opes, honores affectu, bonum est; sed nunquid easdem non solùm affectu, sed re ipsa relinquere, melius est? Cur igitur id in te amor DEI non efficiat? ut qui propter te non solùm affectu, sed re ipsâ cœlum, & in mundo opes, honores, voluptates deseruit. Tu quoque eius amore ad idem faciendum te resolvas.

V. Qui plus DEO dat, maiorem eius in se liberalitatem experietur; plus autem procul dubio ille dat, qui & re, & affectu omnia dat, quam qui res ipsas sibi reservat.

VI. Qui putant, se opes v. g. affectu deserere, cum tamen re ipsa eas servent, graviter sæpissimè decipiuntur, & tacito in eas affectu feruntur, quem tardè nimis advertunt. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli. Nemo sanè prudenter se periculo tali committit, in quo scit, aut videt multos periisse. Ipsa dulcedo rerum temporalium est quidam visc. qui adeò tenaciter adhæret, ut etiam affectum secum trahat. Faciliùs est voluptatem ignorare, quàm deserere.

Multi Religiosi malè vivunt.

I. NUmquid plures benè vivunt? cur paucorum vita deterreat, cum plurimorum exempla invitent. Non adeunda Religio, ut imbecilliorum quis vestigia sequatur, sed ut ferventiorum mores imitetur.

II. Re-

II. Religiosus status laudabilis manet, licèt aliqui sint in eo imperfecti. Sic etiam in schola Christi repertus est Judas, hujus tamen ruina non impedivit Saulum, quin ad Apostolatum vocatus, consentiret vocationi.

III. Nullus est in orbe status, in quo DEUS non permittat aliquos labi. Ecclesia DEI sancta est, & tamen multi in ea malè vivunt. Etiam in cœlo inter Angelos DEUS reperit pravitatem, propter quod tamen cœlum intrare non timemus.

IV. Si malè aliqui vivunt in Religione, numquid abiq; comparatione plures malè vivunt in sæculo? qua igitur ratione sæculum Religioni præferre poteris?

V. Si qui sunt, qui malè vivunt in Religione, illi de se DEO reddent rationem, non tu de illis. Illi viderint, quid agant: tu, ad Religionem aspiras, sanctiora cape consilia, & charismata æmuleris.

VI. Licèt aliqui aliquando malè vivant in Religione, huic tamen labem non affricant, quia tales pro mensura delicti gravius castigantur, aut etiam à Religionis corpore, tanquam membra putrida rescinduntur, & abscinduntur.

VII. Qui in Religione malè vivunt, si-gnum est, quòd in sæculo malè vixerint, nec malè deliberaverint, aut alterius, qui eos corrigere debuisset, consilio non usi, indebitè

bitè Religionem ingressi sint. De te autem meliora suppono. Cæterùm, si qui sunt, qui in Religione malè vivunt, indubitatum mihi est, eos in sæculo adhuc peiùs victuros, Deumque sæpiùs offensuros fuisse.

Sum ultimus Familiæ.

I. MUltos ea tangit familiæ propagandæ cura, ut credant, si quis unicus sit, in quo spes propagationis sita sit, hunc, etiamsi sentiret, se à DEO ad Religionem vocari, tutò posse, imò debere manere in sæculo. Quòd fortè locum in eo casu habere posset, si per defectum familiæ, ut apud Reges & Principes, timenda forent bella, vel Electoratus, aut Principatus regnans ad hæreticorum potestatem delaberetur.

II. Times? ne tua familia pereat, & cur quæso non times? ne anima tua pereat. Quid tibi proderit etiam sæculis durare fam[illegible] am tuam, si anima æternùm pereat?

III. Si deficiat familia tua, quid inde d[illegible] ni justâ consideratione digni? non pro[illegible] rea interibit mundus.

IV. Negligis vocationem, ut [illegible] tuam propages? & unde tibi hæc certitud[illegible] quid si DEUS hoc tibi beneficium non [illegible] cedat, ubi tunc familia? quod autem [illegible] evenire potest, an non præstaret DEI [illegible] fieri?

V. Qui propter familiam, Christi voca[illegible]

tionem negligit, satis clarè ostendit, se familiam pluris facere, plus amare, quàm DEUM. Et quale hac in re tibi erit in agone judicium? anne familia tua te salvabit?

VI. Curas honorem familiæ, & quid si DEI permissione fiat, ut casu aliquo infelici efficiaris opprobrium totius familiæ? numquid desunt exempla? Consule ruinas Illustrium.

VII. Vis illustrare familiam? esto bonus DEI servus, esto Sanctus. Fac, ut loco liberorum, per libros, familiæ tuæ nomen semper maneat. Audi Isa. LVI. *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

VIII. Quid si hac excusatione merearis DEI pœnam, ut brevi, fortè adhuc in juventute moriaris?

ORATIO

Post electionem statûs factam.

AEterne DEUS, Rex cœlestis, Pater omnipotens! cujus potentiâ mundus regitur, sapientiâ gubernantur omnia, & providentiâ inscrutabili, via vitaque nostra disponitur! misericordias tuas ego vilissima creatura in æternum cantabo, quòd me undequaque indignissimum illuminare, ac ad statum NN. vocare dignatus sis. Confirma, o Domine! quod operatus es in me; ac ut in hac sancta vocatione, quam me à te ha-

pere credo, constans perseverem, in adjutorium meum intende, neve me vel aliò fallax caro abripiat, vel versipellis dæmon decipiat aut ulla tentatio seducat, ad adjuvandum me festina. Qui clementer dedisti velle, da potenter perficere. Ego quidem ad tuam sanctissimam Voluntatem exequendam me paratissimum offero, nihilque ampliùs, aut intimiùs desidero, quàm ut illam quàm perfectissimè, quâmque celerrimè adimplere valeam: Adjuva, o Domine! imbecillitatem meam; & eorum omnium, qui hac in re prodesse ac cooperari possunt, voluntates ita dispone, ut assequar, quod intendo; & ut sancta hæc desideria, quæ tu mihi pro animæ meæ salute consequenda misericorditer dare dignatus es, opere ipso impleam, facultatem tribue; qui dedisti velle, da perficere, per Dominum nostrum, &c.

COMPENDIUM DICTORUM.

PRETIOSA MARGARITA

Sanctæ Vocationis gratia,
aut sollicitè quærēda, aut feliciter jam inventa
Studioso Salutis Negotiatori,
Per oblatum *pretiosæ in conspectu Domini mortis* pretium commendatur.

I. S. Vocationis gratia tanti pretii Margarita, quanti est Salus æterna, meritis *venditis omnibus* comparanda, dicitur:

mentis illustratio, voluntatisque motio infusa à DEO ad perfectiorem vitæ statum eligendum.

II. Quisquis igitur de vitæ statu deliberas, & hanc *Margaritam invenire* exambis, nota tres dari status, qui in electionem veniunt: *Ecclesiasticorum, Religiosorum, Sæcularium. Mundus mare est*, S. Aug: ex hoc Ecclesiastici *Navi*, Religiosi *per Pontem*, sæculares *natatu*, ad cælum venire dicuntur.

III. Hic mi Adolescens dispice, quò voceris? si *ad Navim*; benè spera: si *ad Pontem*; quàm optimè: si *ad neutrum*; ad *natandum* te resolvas, oportet, neque tamen saluti diffide, siquidem sacratior Ariadne Divina Providentia te hoc è mari, velut Theseum è labyrintho in libertatem Filiorum DEI adducere potens est.

IV. Deinde status illos (quos inter deliberas) considera: Quis DEO gratior? quis suis talentis aptior? in quo sanctiùs possis vivere, & mori?

V. Ac demum juxta bonæ electionis regulas, cum 4. Consulta. 1. tecum v. g. *quid prodest homini* &c. 2. cum DEO v. g. In quem finem creatus sum? &c. 3. cum morte v. g. quid me tunc elegisse, & egisse vellem? &c. 4. cum Confessario v. g. an tuas rationes probet? si ita; non est ultra, quod ambigas. Optimè sibi consulit, neque errat, qui *Domini*, DEI Vicarium consulit.

VI. Absit, tales consulas, de quibus S. Pau-

lus: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI.* 1. Cor: 2.

VII. Si dicant: *Vocationem suadentis esse vocem, non præcipientis, te posse sequi, non obligari,* cave has tricas: quid si tibi DEUS non det, nisi quod obligatur.

VIII. Si audias: *Et in sæculo te sanctè posse vivere & salvari;* audi & Christum: *Pauci electi,* ac infer: *Pauci* ergo in sæculo sanctè vivunt, *pauci* ergo salvantur.

IX. Alii jactent: *Majoris artis esse, in sæculo salvari;* deserant hi *Naves & pontem,* ac periculoso natatu superent maria, per me licet, tu verò pensa: quid consultius? hi tales *non ex arte, & proposito, sed planè casu, & fortunâ salvantur sæculares.*

X. Iterum oggerant alii: *In quovis statu posse hominem salvari.* Nota: potest quis inter fluctus maris natans non mergi, nonne tamen merguntur plurimi? in inferno nullus est, qui non potuisset salvari, anne tamen salvati sunt? tu si viam securam præ infest. & præruptà eligis, quidni & vitæ statum eligas securiorem?

XI. His expensis, DEO auspice electionem tuam institue, ac ultra *dubitare* noli; nam *semper dubitare,* & ad nihil *se determinare, vel naturæ pusillæ vitium, vel dæmonis artificium* est. Age porrò, quod Sylvester Juvenis Auximanus egit. Hic viso defuncti Sodalis sui, ante formosissimi, nunc fædissi-

cadavere dicebat: *Hoc ſpeculum meum eſt, ſum quod hic fuit, brevi ero, quod hic eſt*, hoc ubi dixit, cum mundo fabulari deſiit, atque in Religione ſanctè mori didicit. Et tu Theophile inſpecta mundi vanitate, & hominis mortalitate, ut idem mereare, Sylveſtrum æmulare, mortem crebriùs meditare, ac ita precare:

XII. Largire nobis quæſumus Domine! Spiritum cogitandi, propitius & agendi, quæ ad bonam mortem conducunt: gratiamque tribue, ut quæ te Auctore facienda cognovimus, te operante impleamus, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

XIII. Nunc verò quis quis *inventâ margaritâ pretioſâ*, ſeu S. Vocationis gratiâ ad ſanctiùs vitæ inſtitutum aſpiras, certiſſimum hoc æternæ prædeſtinationis argumentum habe: *Quos enim prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Rom. 8.

XIV. Ita equidem, nam tales per Religionis ingreſſum vejut per Baptiſmum, plenariâ omnium peccatorum ſuorum indulgentiâ gaudent: per tria Religionis vota actiones ſuas DEO gratiores, ac magis meritorias reddunt; vitam vivunt SS. Martyribus, & Angelis parem, ac pœnè ſupparem certamine illis manet appromiſſum *in hac vitâ centuplum, in altera merces copioſa cum*

prærogativa supremæ Potestatis judiciariæ, ad illud Matth: 19. *Cum sederit Filius hominis, sedebitis & vos, judicantes 12. tribus Israel.*

XV. Summatim S. Bernar: *In Religione homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius. Felix hic est, omni dignus beatitudine!* acclamat S. Hieronymus. Sic *beati audiunt* Apostoli, *beati* Religiosi Matth: 5. *Beati pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum; beati mundo corde: quoniam ipsi DEUM videbunt.*

XVI. Væ verò illis, qui vocem DEI vocantis non audiunt, qui ut invitati ad cœnam magnam Luc: 14. venire recusant, metuant illud: *Nemo illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Væ illis, qui uti virgines fatuæ sponsum vocantem sequi negligunt, audient: *Clausa est janua, nec ...* Væ inquam talibus, quia ex communi doctrina: *plerique non salvantur*, ab... Greg. M. *plane impossibile est, nos aliter salvari.*

Ad M. D. G. B. V. M. S. L. C.

Honorem.

S. ALOYSII Principalis Scholasticæ Juventutis Patroni Cultum ac Venerationem.

B
D

Biblioteka Jagiellońska
stdr0024512